Augustus Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ Rußiæ Prußiæ Masoviæ Samogitiæ Kijoviæ Volhyniæ
Podoliæ Podlachiæ Livoniæ Smolensciæ Severiæ Czerniechoviæq nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ et Princeps Elector.

Significamus præsentibus Literis Nostris Quorum interest Universis et Singulis Consensiße Nos et permisiße Consentireq et permittere præsentibus Literis nostris Generoso Sebastiano Mniszek, ut poßit et valeat de omni et integro Iure suo Advitalitio quod Ipsi super Advocatiam Mostoviensem in Palatinatu Betzensi sitt et iacen, servit et Competit, Cedere, illudq in Personas Generosorum Michaelis et Hiacinthæ de Dzierzki Mniszkow Conjugum plenarie transferre et transfundere. Quæ quidem Ceßio Jurisq transfusio posteaquam Coram Actis quibusvis Authenticis Regni facta et Recognita fuerit, Nos eam Ratam gratam acfirmam habituri Sumus, Uti eam quæ prævio hocce Consensu Nostro Regio Peragetur. Vigore cujus Ceßionis in Virtute præsentis Consensus Nostri factæ Supradicti Generosi Mniszkowie Conges dictam Advocatiam Mostoviensem cum Omnibus Ædificijs, Curijs, Agris, pratis, Campis, Sylvis, Nemoribus, fluvijs, fluminibus, piscinis, Molendinis, Tabernis Subditis eorumq Laboribus, Censibus, Dationibus, Commodis et emolumentis, cunctisq Attinentijs et pertinentijs ad eandem Advocatiam antiquitus et recenter spectantibus, nullis penitus Exceptis tenebunt habebunt et poßidebunt ad extrema vitæ Ipsorum tempora. Promittimus Autem pro Nobis ac Serenißimis Succeßoribus Nostris non eße nos, neque Serenißimos Succeßores Nostros memoratos Gsos Mniszkow Conjuges ab usu et pacifica Poßeßione dictæ Advocatiæ Mostoviensis Amoturos aut Alienaturos, neq amovendi, aut Alienandi potestatem Cuipiam daturos sed salvum et integrum Ius advitale Eis conservaturos, quod et Serenißimi Succeßores Nostri præstabunt. Juribus Nostris Regalibus Reipublicæ, Ecclesiæq Romanæ Catholicæ Salvis manentibus. In quorum fidem præsens manu Nostra Subscriptas Sigillo Regni Communiri jußimus. Datt. Varsaviæ Die XXII Mensis July Anno Domini MDCCLX Regni vero Nostri XXVII Anno.

Augustus Rex



Consensus Cedendi de Advocatia Mostoviensi in Palatinatu Betzensi Sita Generoso Sebastiano Mniszek in Personas Generosorum Michaelis et Hiacinthæ de Dzierzki Mniszkow Conjugum Confertur

Antonius Sikorski S. R. Mtis et Sigilli Regni Secretarius

8

3.

Pro Cancellariatu

Illrmi Excellmi et Rndmi Domini

Michaëlis Comitis de Granow Wodzicki

Episcopi Nominati Premysliens.

ProCancellarij Rni

Sigillatum

In Castro Premisliensi

Feria Sexta pridie Festi Sae Luciae Virginis

et Martyris Anno Dni 1760.

Consensus praesens circa recognitam

Cessionem Actis praesentibus Castri Capitanealis

Premisliensis Ingrossatus.